

censet sententias plurium doctorum antiquorum, et signanter S. Thomæ, quæ nonnisi per principia probabilismi demonstrari possunt.

» 2^o Ex doctrina hujusce temporis communiter tradita. Etenim, si inspiciantur scholæ per totum orbem diffusæ, in plerisque inveniuntur tradita et propugnata *probabilismi moderati* doctrina, præsertim Romæ, quæ merito haberi debet ut centrum scientiarum theologiarum, et ubi falsa doctrina, et quidem publicæ, tacente Ecclesia, doceri profecto nequit. Sic pariter in tota Italia, Hispania, Germania, etc. — In ipsa quoque Gallia jam unanimo fere plausu in dies nunc excipitur S. Ligorii doctrina, quæ sane a probabiliorismo prorsus abhorret. » — A tempore quo Gury scribebat, ortum est quidem in Gallia systema *Probabilismi compensativi*, quod immerito nomen probabilismi usurpavit, ut doctrinæ Ligorianæ principia funditus everterens. Sed illud systema paucissimos sequaces attraxit, et brevi, ut res inanis, evanescet.

» 3^o Ex approbatione Ecclesiæ, saltem implicita, in approbatione operum S. Ligorii. Etenim solemniter declaravit sacra Rituum Congregatio [in judicio de scriptis ante canonisationem lato] « nihil esse censura dignum » in operibus S. Doctoris. Iterum in decreto S. Pœnitentiariæ (5 julii 1831) a S. P. Gregorio xvi approbato, professor quivis theologiæ sequi et docere potest omnes opiniones quas in sua theologiæ morali profitetur S. Ligorius, nec inquietandus est confessarius qui easdem in praxi saeri tribunalis pœnitentiæ sequitur. [Expressius laudatur S. Doctor in Brevi a SS. D. N. Pio IX scripto, 7 aprilis 1847, ad Petrum Scavini, qui in suo Compendio theologiæ probabilismum Ligorianum apertissime docet : « Tibi vehementer gratulamur, ait Pontifex, quod in hisce Institutionibus conficiendis nihil antiquius habueris, quam salutes sanctissimi et doctissimi viri Alphonsi Mariæ de Ligorio doctrinas magis magisque propagare, iisque ecclesiasticæ præsertim juventutis animos imbuere. »] Litteris tandem apostolicis die 7 julii 1871 datis, quibus S. Ligorius universalis Ecclesiæ Doctor declaratur, hæc statuit S. P. Pius

IX : « Præterea hujus Doctoris libros, commentaria, opuscula, opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiæ Doctorum, non modo privatim, sed publice in gymnasiis, academiis, scholis, collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus, citari, proferrî, atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus ac decernimus. » — Jam vero S. Ligorius in suis operibus : 1^o Expresse docet ac mira eruditione confirmat speculativa omnia principia in quibus, fatentibus ipsismet adversariis, tota veluti substantia nostræ doctrinæ consistit, nempe : *neminem ad aliquam legem servandam teneri, nisi illa ut certa ei manifestetur; — non posse legem incertam certam obligationem inducere; — legem dubiam non obligare*, etc. (*Morale systema*, n. 63-69). 2^o Quoad praxim, nobiscum asserit licitum esse usum *veræ et solidæ* probabilitatis contra legem, dummodo qui ea utitur conscientiam sibi efformet ope principiorum reflexorum sæpius memoratorum. Eam equidem solam ut talem habet quæ sit *æqualis* aut *fere æqualis* probabilitati oppositæ : nos, e contra, admisimus eam aliquando talem esse ac manere, quamvis opposita sit probabilior; sed id non impedit quominus nobiscum consentiat quoad essentialia; [nam, ut notavimus, S. Ligorius id tantum requirit, ut opinio favens libertati sit vere et solide probabilis, et etiamsi opinio opposita sit probabilior, non destruit veritatem et soliditatem sententiæ contrariæ, quoties non est *notabiliter* probabilior, quo in casu prior fieret *leviter* probabilis et extra quæstionem poneretur]. Ergo in ejus operum approbatione Ecclesia implicite saltem approbavit præcipua et magis necessaria doctrinæ nostræ principia.

» Adde cum Theologia Wirceburgensi, n. 252, iis qui cum debita moderatione probabilismo utuntur, sectando unice opiniones vere ac solide probabiles, « paucas esse opiniones manifeste et notabiliter probabiliores, et de quarum excessu certo constet, » propterea quod, ut ipsi aiunt, n. 240, « vix ullus prudens theologus opinionem affirmavit manifeste et notabiliter probabiliorem, quamdiu

oppositam agnoscit vere ac theologice probabilem. Unde fit ut, si non verbis, in re saltem et in ipso rerum usu æquiprobabilismus S. Ligorii et probabilismus noster moderatus fere in idem recidant. »]

Argumentum ex consecrariis.

[Hæc consecraria exponuntur ab eodem P. Gury, *ibid.*, n. 66-68. « 1° Sequeretur in systemate probabilioristarum difficultas nimis gravis pro confessariis. Etenim confessarius se exponeret periculo peccandi ob defectum sufficientis diligentiae in perpendendis variis gradibus probabilitatis, præsertim in materia restitutionis, quando ex duabus opinionibus æque probabilibus unam sequeretur. Si enim sententiam benigniorem assumeret, peccaret illud permitindo in quo deformitatem probabiliter existentem apprehenderet. Si juxta sententiam rigidiorem ageret, peccaret jugum incertum pœnitenti imponendo. Insuper, licet sententia rigidor ipsi appareat probabilior, quandonam certus erit eam revera talem esse, atque alteri confessario oppositam probabiliorẽ non videri? Nec quisquam munus confessarii subire posset, nisi forte ita versatus foret in theologia morali, ut distinguere inter opiniones probabiliores et minus probabiles certo posset; onus enim faciendi includit onus sciendi: paucissimi autem hoc præstare valent.

» Hinc sequitur etiam illa contradictio confessariorum qui, utut probabiliorismum profitentes, haud raro tamen dictitant se non posse in administratione sacramenti pœnitentiæ principia probabiliorismi rigorose applicare, et ideo aliud in theoria, aliud vero omnino oppositum in praxi tenent. Nec desunt qui, in angustiis constituti, facile id probabilius judicent quod alias minus probabile haberent. [Hoc ipsi supra animadvertimus, scilicet probabilioritatem sæpe mere subjectivam esse.] Nonne præstaret principia mitiora cum tot sapientissimis doctoribus statuere et admittere, eaque exactius in praxim deducere?

» 2° Sequeretur molestissima difficultas pro fidelibus.

Etenim in dubiis imponeretur ipsis obligatio inquirendi, quænam opinio sit probabilior: quippe obligatio operandi secundum probabiliorẽ includit necessarium officium eam inquirendi. Porro plerumque datur impossibilitas moralis distinguendi inter probabiliorẽ et probabilem. Et sane quæro, an tenear ad probabilius in se seu absolute, vel quoad me seu relative. Si prius, unde noscam? Si posterius, iterum agitur de probabilitate intrinseca vel extrinseca. Si de posteriori, quæ schola sequenda? qui doctores interrogandi? Si de priori, crescit difficultas: unde sciam an sim satis ad hocce iudicium idoneus, an in ignorantia invincibili verser, vel non? Anceps igitur dubiisque pressus, quid agam? Recurram ad magistros? At, ex hypothesi, meum est iudicare. Quot itaque quantæque angustiae impendeant fidelibus ex illa necessitate probabilius titiusve sequendi, manifestum est. — Ita Segneri, *opusc. de Probabilitate.*

» 3° Sequeretur fluctuatio perpetua doctrinæ. Ex probabiliorismo enim sequitur perpetua fluctuatio doctrinæ inter ipsos probabilioristas, uti comprobatur quotidiana experientia. Sed et ex ipsa natura probabiliorismi oritur ista discrepantia. Impossibile est siquidem ut reipsa conveniant; nam, posita obligatione sequendi opinionem quæ cuique probabilior apparet, necessario alii pro affirmativa parte, alii pro negativa resolvent. Ligabit unus, solvet alter, et quod tibi probabilius apparebit, facile alteri æque vel minus probabile videbitur. Hinc sequentur confusio decisionum, perplexitas fidelium et angustiae ipsorummet confessariorum, qui ex putatio aliquo probabilitatis excessu gravissimas obligationes imponent. Probabilismus vero bene intellectus huiusmodi incommodis, saltem plerumque, caret. Duo enim tantum sunt probabilistis perpendenda, scilicet obligationes certæ et obligationes mere probabiles. Quamvis vero non semper constet de vera probabilitate, nemo tamen non videt, ordinarie loquendo, multo facilius esse discernere, an solida ratio vel authoritas contra legem habeatur, quam de excessu aliquo probabilitatis proferre. Ergo... etc. »

4^o His incommodis a P. Gury expositis, superadditur sequens, quod nobis grave videtur. Nemo diffitebitur confessarium non aliud munus habere quoad legem, quam eam penitentii applicare per modum iudicii: unde in hac parte non est legislator, sed tantum minister legis. Atqui, si confessarius sit probabiliorista, et ut talis imponat penitentii observationem legis dubiæ, quia ipsi probabilior apparet, opinione opposita vere ac solide probabili remanente, non applicat legem, sed eam conficit et propria autoritate seipsum legislatorem constituit, ex lege vere dubia legem certam faciens; nam supra probavimus, cum S. Thoma, legem non posse imponi subdito nisi sit vera lex, id est nisi fuerit promulgata, qualis non est lex vere dubia. Ergo confessarius, in casu supposito, limites mandati sui transgreditur et ordinem statutum subvertit.

Hoc ultimum incommodum invocari potest a fortiori contra tutorismum, quod de cætero fuit damnatum, ut infra videbitur.]

Solvuntur objectiones.

[*Obj.* 1^o ex Scriptura: Legitur *Eccli.*, III, 27: *Qui amat periculum, in illo peribit.* *Ibid.*, XXXVII, 20: *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, et ante omnem actum, consilium stabile.* I *Thessal.*, v, 22: *Ab omni specie mala abstinete vos.* Atqui qui doctrinam probabilismi practice sequitur, 1^o amat periculum, quia se exponit peccato; 2^o ante opus suum non habet verbum verax, nam opinio quam præfert est dubia; 3^o non habet ante actum suum consilium stabile, consilium enim quod admittit non nititur nisi fundamento fragili; 4^o non abstinere ab omni specie mala, cum transgressio legis etiam dubiæ bonæ dici non possit. Ergo. Sic argumentantur ipsi probabilioristæ.

Resp. 1^o. Retorqueri potest hoc argumentum in probabilioristas; nam, etiam cum agunt contra legem dubiam ex opinione probabiliori, vel quæ talis ipsis videtur, adest periculum peccandi materialiter, quod omnino non amo-

vetur nisi cum certo lex non existit; et idem dicendum de aliis incommodis quæ objiciunt, quæ, si leviter minuuntur in eorum systemate, non tamen penitus avertuntur.

Resp. 2^o directe. Ad 1^{am}. 1^o Agitur ibi de impoenitentia finali, ut patet ex contextu: *Cor durum habebit male in novissimo, et qui amat periculum, in illo peribit.* Ergo non apposite allegatur hic textus. 2^o Qui amat periculum reale, in illo peribit. Atqui, in nostra sententia, nullum est periculum peccati, cum ex conscientia recta agatur. Si forte lex vere, id est objective, existens videretur, peccatum erit mere materiale et peccatum formale tantum vitare tenemur. Ergo. — Ad 2^{am}. Si opinio quam sequitur probabilista in casu particulari non sit intrinsece verbum verax, principium reflexum ex quo conscientiam suam format est verum, ut supra probavimus, et cum conscientia sit practice certa, iudicium quo pronuntiatur legem esse nullam et non obligare, veritati consonat. Ergo. — Ad 3^{am}. Ut ad 2^{am}. — Ad 4^{am}. Præcipit quidem Apostolus ut abstinere ab omni actu qui agenti speciem peccati offert. Atqui, in hypothesi, actus non offert agenti speciem peccati, cum moraliter certus sit talem actum nulli legi opponi. Ergo.

Obj. 2^o: In iure canonico regula sequens passim enuntiatur: « In dubio pars tutior est eligenda. » Atqui probabilista partem tutiorem non amplectitur; nam pars tutior ea est quæ, stans pro lege, peccatum omnino amovet. Ergo. Ita etiam probabilioristæ.

Resp. 1^o. Retorqueo argumentum. Probabiliorista partem tutiorem non amplectitur; nam, etc. Ergo. — Ergo confugiendum est ad tutorismum absolutum. Atqui hoc systema fuit ab Ecclesia damnatum. Ergo.

Resp. 2^o directe. 1^o Verum est quod in dubio practice pratico pars tutior sit eligenda, si agatur stante illo dubio. Atqui, quamvis dubium speculative practicum non excutatur, probabilista non agit cum dubio practice pratico, cum ejus conscientia, ope principii reflexi certi, facta fuerit moraliter certa de honestate actionis. Ergo

regula allegata immerito contra probabilismum invocatur. 2° Ut supra probatum est, hoc principium restringitur in jure ad dubia facti, quæ fiunt practica, et ad casus in quibus validitas actuum ex officio ponendorum periclitatur, et extra quæstionem præsentem vagantur, ut mox demonstrabitur. Ergo non potest nobis opponi.

Obj. 3° plures Patres axioma supra citatum juris canonici diversimode proclamasse.

Resp. has autoritates eo modo intelligendas esse quo axioma juris interpretatur. Aliunde non desunt testimonia quibus doctrina probabilismi fuleiri potest. Aug. ait, Epist. 54¹, c. 2, n. 2 : « Quod neque contra fidem, neque contra mores esse convincitur, indifferenter habendum est. » Greg. Naz., orat. 39 : « Quod si dubia res est, vincat humanitas et fragilitas. »

Obj. 4° : Opinio probabilis non remanet probabilis in concursu probabilioris; minor enim probabilitas a majori eliditur. Ergo.

Resp. *Nego* ant. Si enim opinio opposita est vere probabilior, hoc fit ex hoc quod altera est probabilis; nam comparativum supponit positivum. Unde, si quod objicitur verum esset, opinio probabilior jam non probabilior esset, sed certa. Hoc autem falsum esse manifestum est. — Insuper, rationes ex principiis disparatis et non subordinatis petitæ se invicem elidere nequeunt. Rationes enim meæ, non obstante opposita probabilitate, et etiam probabilioritate, in toto suo robore stabunt, usquedum eas falsas esse probaveris.

Obj. 5° : Probabilistæ non agunt cum morali certitudine, ne ex principio quidem reflexo, cum opinionem suæ opinioni oppositam improbabilem dicere nequeunt. Ergo. Ita noster Billuart, dissert. VI, art. 1.

Resp. 1°. Retorqueo contra probabilioristas, ex paritate rationis.

Resp. 2° directe. Probabilistæ non agunt cum morali

1. Olim 118.

certitudine ex principio directo ex ipsa quæstione sumpto, *conc.*; nam, si ita esset, certitudo locum probabilitatis occuparet. Non agunt cum morali certitudine de honestate actionis quæ ope principii reflexi certi acquiruntur, *nego*; dubium enim practicum discutunt probabilistæ eodem modo quo probabilioristæ, scilicet conscientiam suam certam reddendo principiis extra rem dubiam quæsitis, quibus demonstratur, legem probabilem non esse, erga agentem, veram legem quæ eum attingat et obstringat. Ergo.

Obj. 6° : Prudentia exigit ut peccatum omnino vitetur. Atqui probabilista non vitat omnino peccatum, cum faciat quod judicat esse probabiliter, vel etiam probabilius peccatum. Ergo imprudenter agit. Ergo peccat.

Resp. 1°. Retorqueo contra probabilioristam, cui quod agit est etiam probabiliter peccatum, et suo argumento cogitur ipse tutiorismum amplecti.

Resp. 2° directe. *Dist.* maj. Prudentia exigit ut peccatum omnino vitetur, cum actus est certo et formaliter peccatum, *conc.*; cum actus nequidem est certo peccatum materiale et certo non est peccatum formale, *nego*. Atqui probabilista prudenter judicat actum suum non esse peccatum materiale, quia legem dubiam, si forte existat objective, rationabiliter tenet ut erga ipsum non existentem, defectu promulgationis debitæ; et certo pronuntiat, ex eodem principio inconcusso, talem actum non esse peccatum formale. Ergo non agit imprudenter. Ergo non peccat.

Obj. 7° : Velle aliquid, etiamsi forte sit peccatum materiale, est velle peccatum formale. Atqui ita agit probabilista. Ergo formaliter peccat.

Resp. 1°. Retorqueo contra probabilioristam, qui admittit ipse quod actus contra legem dubiam positus possit esse peccatum materiale.

Resp. 2° directe. *Transeat* maj. et etiam eam *conc.* — *Nego* min. Probabilista enim, prudenter judicando, ex principio certo, legem non existere, non admittit actum

suum esse materialiter malum, et eum nullo modo vult sub hoc respectu. Ergo non peccat formaliter.

Obj. 8° : Si quis ægrotans eligat remedium probabiliter tantum efficax, relinquens aliud quod est probabilius efficax, imprudenter agit. Atqui adhibenda est cura major animæ quam corporis. Ergo. Ita Collet, cum aliis probabilioristis non paucis.

Resp. hoc exemplum extra quæstionem esse; nam agitur hic, non de honestate actionis, sed de efficacia mediæ adhibendi. Aliunde probabilista non iudicat probabiliter tantum, sed certo et legitime pronuntiat actum suum non esse animæ suæ nocivum.

Obj. 9° : Iudex, in ferenda sententia, sequi debet opinionem probabiliorum, ut patet ex damnatione sequentis propositionis ab Innocentio XI facta : « Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare juxta opinionem etiam minus probabilem. » Item, medicus non adhibet licite remedium dubium, cum ipsi suppetit remedium certum vel probabilius efficax. Ergo, a pari, non licet, in agendis, sequi opinionem minus probabilem.

Resp. Exempla in antecedente allata non sunt ad rem. Non agitur enim in hoc duplici casu de honestate morali seu de licitate actionis ponendæ, sed de obligatione finem determinatum per media certa vel aptiora assequendi, ratione officii vel quasi contractus. Equidem antecedens argumenti absolute concedimus, et idem demonstrabimus in articulo sequenti; sed, *negata* paritate, *negamus* consequens et consequentiam.]

Consectaria.

[Colliges ex superioribus :

1° Si licitum sit sequi opinionem vere et solide probabilem de honestate actionis, etiamsi opposita sit probabilior, licet *a fortiori* agere secundum opinionem probabiliorum et probabilissimam faventem libertati. Hoc non est jam demonstrandum. Cæterum, quoad probabilissimam, damnata est propositio sequens Sinnichii, quæ est tertia ex

31 ab Alexandro III damnatis : « Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. » Insuper, opinio libertati favens non potest esse probabilissima quin opposita sit tenuiter tantum vel etiam tenuissime probabilis, et præter rationes superius allatas, invocandum est principium : « In moralibus parum pro nihilo reputatur. » Unde tunc habetur quædam certitudo moralis de non existentia legis.

2° Non licet sequi opinionem tenuiter probabilem, relicta tutiore. Nam, nemo licite agit, nisi prudenter agat, id est nisi moraliter certus sit de honestate actionis suæ. Atqui, quando opinio libertati favens est tantum tenuiter probabilis, ex ea non agitur cum morali certitudine de honestate actionis, seu prudenter, quia, e contra, practice moraliter certum est legem existere. Ergo. Unde damnata fuit ab Innocentio XI hæc propositio, n. 3 : « Generatim, dum probabilitate intrinseca seu extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi, aliquid agimus, semper prudenter agimus. » Reprobata est pariter ab Alexandro VII, n. 27, hæc altera propositio quæ refertur ad probabilitatem extrinsecam : « Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censi probabilis, dum non constet rejectam esse a sancta Sede apostolica tamquam improbabilem. » Quæ propositio intelligenda est in hoc sensu, quod opinio sit nova, a doctrina communi recedens, cujus author nullo titulo inter theologos bonæ notæ computatur.

3° Non licet sequi opinionem probabiliter tantum probabilem contra legem, quia probabilitas libertati favens non est vera et solida, et prudenter pronuntiari non potest legem de jure erga agentem non existere. Qui ex tali probabilitate ageret, probabiliter tantum ageret, id est in dubio practico et non cum morali certitudine de honestate actionis. Porro qui sic agit, *non ex fide* agit, et peccat.

4° Non licet sequi sententiam alii, etiam doctioribus, probabilem, quæ agenti est actu improbabilis. Ratio est quia, quamdiu ita iudicat, actio ipsi apparet ut illicita, vel

saltem ut non certo licita, et contra iudicium proprium agendo, vim conscientiae suae inferret, et ratione dubii practicae practici peccaret. Non debet ergo aliquis secundum sententiam alienam agere, nisi rationes quibus nititur noscat et approbet, vel saltem prudenter iudicare possit tutum esse talis theologi, v. g., S. Ligorii, opiniones amplecti.

5° Etiam si opinio contra legem militans sit vere et solide probabilis et in se licitum sit eam sequi, accidere potest quod, propter circumstantias, aliquis debeat in casu particulari partem tutiorem practicae praeferre, ne scandalum praebat iis quibus videretur legem existentem violare. Certe non tenetur onus legis dubiae declinare, et certo tenetur proximum non scandalizare. Hoc pertinet ad quaestionem obligationis indirectae, de qua alibi.

6° *Nota* diligenter, quaestionem probabilismi esse juris stricti. Id unum probare intendimus, scilicet nullam existere obligationem legem vere dubiam observandi, ita ut in hoc casu libertas agentis integra maneat, et non adsit periculum formaliter peccandi, tali lege praetermissa, etiam si de facto lex forsitan existat et actus contra eam positum sit in se peccatum materiale, seu melius materia peccati. Equidem laudandus erit qui, zelo perfectionis correptus, studebit, in casibus dubiis, etiam peccatum materiale possibile vitare, usum legitimum libertatis suae abnegando et agendo non secus ac si lex dubia esset lex certa. Sed hic non instituendus erat sermo hortatorius ad perfectionem, bene vero statuendum eos qui vias communes sequuntur non nisi legibus certis obstringi.]

ARTICULUS IV

De usu probabilitatis et de regulis specialibus quibus conscientia in dubiis practicae formatur.

[Totius hujus articuli materiam e *Compendio* P. Gury hausimus, a n. 75 ad n. 80. (Edit. Dumas.)

« Praeter principia generalia quibus theoria probabilismi statuitur, scilicet : « Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet ; » vel : « Lex dubia non obligat ; » [vel : « Melior est conditio libertatis possidentis, »] recensentur etiam nonnullae regulae speciales quibus ea principia confirmantur, vel in particularibus casibus applicantur. Sunt autem sequentes :

» I. — *In dubio standum est pro eo pro quo stat praesumptio.* Ratio est, quia praesumptio plerumque efficit certitudinem moralem, saltem latam. Hinc, si soleas tali tempore diligenter recitare Breviarium, et dubites an aliquam partem recitaveris, praesumptio tibi favet et te ab obligatione recitandi seu repetendi eximit. Item, si dubites utrum superior juste praecipiat vel dispenset, pro illo stat praesumptio ; quia is rationibus tibi incognitis duci potest, vel de cognitis prudenter iudicare censetur. Insuper rectus ordo et bonum commune exigunt ut in tali casu ipsi deferatur. — Ita communiter theologi.

» II. — *In dubio iudicandum est ex ordinarie contingentibus.* Axioma est communiter receptum. S. Lig. passim. — Recidit haec regula ferme in praecedentem, cum in utraque praesumptio sit ratio ita iudicandi. Sed prior latius patet, siquidem praesumptio erui potest, non tantum ex *ordinarie contingentibus*, sed etiam ex particularibus circumstantiis. — S. Lig., *ibid.*

» III. — *In dubio standum est pro valore actus.* Regula est juris civilis, etiam in rebus theologicis communiter applicata. Hoc intelligendum est, si factum principale sit certum, et dubitetur de aliqua circumstantia vel conditione necessaria, aut de modo debito : v. g., si dubites an cum sufficienti dolore peccatum confessus fueris, non teneris iterum confiteri. — S. Lig., lib. I, n. 26, etc. — Principium istud videtur etiam intelligendum, 1° in favorem libertatis, modo non obstat contraria praesumptio, aut bonum commune reipublicae vel religionis ; 2° contra libertatem in foro externo, vel etiam in foro interno, cum agitur de bono publico, v. g., de contractibus, praesertim de matrimonio. Ratio autem cur illud principium non sit applicandum in

omni casu contra libertatem, petitur ex alio principio superius memorato, nempe: « Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. » Porro, non constat de obligatione, nisi urgeat aliqua evidens ratio justitiæ, religionis, boni publici, vel alterius finis necessario obtinendi. — S. Lig., lib. I, n. 26; lib. VI, n. 505. — Voit, n. 38.

» IV. — *In dubio favores sunt ampliandi et odia restringenda* (Reg. jur. can. 15, in Sexto); id est, in dubio benigniora sunt præferenda. Unde, secundum hoc principium et communiorem interpretationem, hæc statuenda videntur: 1º Quoties odia et favores separari possunt, odia sunt restringenda et favores ampliandi, quantum fieri potest, quin vis sensui verborum inferatur. 2º Si odia et favores sint indivisibilia, tunc de intentione legislatoris ex ipsius verbis, ex subjecta materia, aut ex adnexis circumstantiis judicandum est. 3º Si intentio legislatoris determinari clare nequeat, magis attendendum est ad favorem quam ad odium. — S. Lig., lib. I, n. 99.

» *Odiosum* autem hic intelligitur quidquid tendit ad pœnam, vel lædit jus tertii, aut juri communi opponitur. *Favor* vero, seu *favorabile*, est quidquid libertati indulget, vel gratiam concedit, sine privatorum, aut communitatis, aut juris ipsius detrimento.

» V. — *In obscuris, quod minimum est tenendum* (Reg. jur. can. 30, in Sexto). Sic intelligenda est hæc regula. Ubi non constat de vero sensu legis vel statuti, et inquisitione præmissa, neque ex natura rei, neque ex contextu verborum, aut loci consuetudine, aliave circumstantia determinari potest, interpretatio minus onerosa seu libertati benignior admittenda est. Ratio est, quia legislator non censetur velle obligare ultra id quod clare in lege exprimitur. Hinc in dubio de quantitate pœnæ infligendæ, minima eligenda est. Item, si non certo constet de delicto, reus absolvendus est.

» VI. — In dubio facti, valent sequentia axiomata seu regulæ juris civilis apud omnes receptæ: 1º *In dubio, factum non presumitur, sed demonstrari debet*. Hoc autem intelligendum est de dubio circa actum principalem: v.

g., si dubium sit an quispiam alium percusserit, hoc factum præsumi non debet, sed qui affirmat debet illud positive probare. 2º *In dubio præsumitur factum, seu recte factum, quod de jure faciendum erat*. Hoc intelligendum de dubio circa actum accessorium, supposita certitudine actus principalis; si quid enim de jure faciendum erat, aut si ordinarie fieri soleat, aut sit favorabile facienti, præsumitur factum esse. 3º *In dubio nemo malus præsumitur, nisi probetur*. Hoc valet, quoties agitur de dubio alicujus delicti. Illud enim imputari non debet, nisi de eo certo constet. Cum igitur delicta non præsumantur, nec malus quisquam præsumitur, sed probandus est.

» VII. — *In dubio pars tutior est eligenda* (Reg. jur. can. passim). Hæc regula restringenda est ad casus dubii practici, vel ad eos in quibus finis est necessario obtinendus, nempe ubi probabilitas non removeret periculum quod lex præcipit omnino cavendum, ut, v. g., in sacramentis conficiendis: quod ex omnibus hucusque expositis compertum est. Si autem extendatur ad dubia speculativa, cessat regula seu præceptum, sed est merum consilium.

» *Quæres* 1º an licitum sit uti probabilitate, non tantum in materia juris positivi, sed etiam in materia juris divini et naturalis.

» *Resp.* affirmative, quia in qualibet materia contingere potest ut non constet de legis existentia, quoties nempe contra militat vera et solida probabilitas, ac proinde de tali lege datur ignorantia vere invincibilis. Porro Deus, author legis et principium ordinis naturalis, non censetur velle nos obligare, quando invincibiliter legis existentiam ignoramus. — Lacroix, etc.

» *Quæres* 2º an confessarius possit vel debeat absolvere pœnitentem qui vult sequi opinionem probabilem quidem, sed oppositam sententiæ quam ipse tenet.

» *Resp.* affirmative, si pœnitens adhæreat sententiæ probabili cum conscientia eformata. Ratio est, quia pœnitens habet jus sequendi opinionem vere probabilem, nec confessarius jus habet illi imponendi proprias opiniones, etiamsi probabiliores ipsi videantur. Confessarius enim

non est iudex opinionum quas pœnitens sequi teneatur, sed est tantum iudex dispositionis sui pœnitens, ut patet ex Trident., sess. xiv, c. 5. — Ita S. Lig., lib. VI, n. 604, et alii communiter.

» *Quæres 3^o* an probabilitas extrinseca constituat opinionem vere probabilem.

» *Resp.* affirmative, saltem generatim loquendo. Imo, in quæstionibus quarum solutio magnopere pendet a prudentum æstimatione, major autoritas majorem constituit probabilitatem. Nam difficile est aliquid esse extrinsece probabile, quin pro eo sit ratio gravis. Rationabiliter autem præsumi debet adesse talem rationem, quando multi et graves authores tenent aliquam opinionem esse probabilem, quippe rei veritatem perspexisse et solidis motivis eam inniti vidisse merito consentur. Hinc S. Thomas: « Aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur. » 2^a 2^a, q. 4, a. 8. — Accedit etiam autoritas S. Pœnitentiariæ. Etenim S. Congregatio interrogata, utrum sit inquietandus confessarius qui sequitur doctrinam S. Ligorii, quin rationes ejus perpendat, sed tantum propter ejus auctoritatem, respondit *negative*; et hoc responsum fuit a Summo Pontifice Gregorio XVI approbatum. Ergo probabilitas extrinseca intrinsicam supponit. Ergo.

» Dixi, *saltem generaliter loquendo*, quia, si aliquando forte detegas errasse authores etiam multos et graves in asserendo opinionis alicujus probabilitate, tota eorum autoritas, quantacumque demum sit, totaque illa probabilitas extrinseca jam non efficiet ut hæc opinio sit tibi vere probabilis.

» *Quæres 4^o* quid sentiendum sit de illo principio probabilistis non paucis familiarissimo: *Qui probabiliter agit, prudenter agit.*

» *Resp.* Plurimi gravissimique doctores, qui hoc effato usi sunt, illud usurparunt instar regulæ agendi proxime, non autem principii quo veritatem suæ doctrinæ circa probabiles opiniones comprobarent. Certe principium istud

falsum est, si habeatur ut principium primum et per se vim habens. Ratio est, quia actio nequit esse prudens vi solius probabilitatis, sed id habet ex sola certitudine. Est autem verum, si habeatur tantum, prout ab his doctis viris habebatur, ut consequentia alterius principii primarii quod sit per se regula ultima agendi, quale istud esse potest: *Lex dubia non obligat*; vel: *Non est obligatio, nisi de ea certo constet.*

» *Quæres 5^o* quomodo intelligendum sit axioma: *In dubio melior est conditio possidentis*, et quinam ejus usus in conscientia efformanda.

» Axioma istud in foro externo tum ecclesiastico tum civili receptum est tamquam regula judiciorum certa. Regula enim 63 juris in Sexto sic se habet: *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis*, et L. 128, § de div. reg. juris dicitur: *In pari causa, possessor potior haberi debet.* Quæritur autem utrum valeat etiam quoad conscientiam efformandam, id est quoad forum internum; et si valeat, quænam sit illa possessio, quodnamve dubium in quibus dicitur esse melior conditio possidentis.

» *Resp.* 1^o. Eamdem esse vim hujus axiomatis in interiori ac in exteriori foro, constat ex testimonio omnium pene theologorum, qui eo frequentissime utuntur, ut casus solvant ad solam conscientiam spectantes. Constat etiam eo quod, prout notavit Suarez (*de Voto*, lib. IV, c. 5, n. 11), « ubi non proceditur ex præsumptione, » seu ex falsa causæ suppositione, « idem est jus conscientiæ et ecclesiastici judicii. » Cf. etiam Suarez, *de Cens.*, disp. 40, sect. 5, n. 16. — Lugo, *de Justit. et Jure*, disp. 23, n. 110. — S. Lig. lib. I, n. 26.

» *Resp.* 2^o. Hoc axioma valere tantum in materia justitiæ, seu quoad possessionem quæ ad jus proprietatis spectat, censuerunt nonnulli, inter quos Eilluart, *de Actib. hum.*, diss. VI, a. 2, obj. 3. At vero sententia longe communior et certior asserit idem valere in aliarum etiam virtutum materia. Ita Suarez, *de Voto*, lib. IV, c. 5, n. 7 et seqq. — Sanchez, *de Matrim.*, lib. II, disp. 41, n. 31. — Castropal., *de Consc. dub.*, resol. 2. — Lacroix, lib. I,

n. 502, et alii multi quos approbat S. Lig., loc. cit. Ratio est, quia exercitium pacificum, seu possessio aut quasi possessio, non solum juris proprietarii, sed cujuscumque alterius juris, puta imperandi, agendi vel non agendi, etc., quando certa sunt, titulum præbent certum retinendi id quod habetur, quamdiu non probatur id retinendum non esse; namque, in genere, contra titulum certum prævalere nequit titulus mere dubius. Sic, in materia obedientiæ, superiori qui est in possessione juris imperandi subditus in dubio tenetur obedire, uti ex jure canonico, SS Patribus et ratione demonstrat Lacroix, lib. I, n. 432.

» *Resp.* 3^o. In dubio practico vel negativo, juxta omnes, melior est conditio possidentis; non autem, juxta multos, in dubio opinativo, seu ubi vera et solida probabilitas possessori adversatur; arbitrantur enim tunc cessare præsumptionem quæ secus in ejus favorem allegari potuisset¹.

» *Quæres* 6^o: Si dubites utrum alicui obligationi jam satisfeceris, tenerisne adhuc satisfacere?

» *Resp.* 1^a affirmative prorsus, quoties agitur de dubio proprie dicto, seu de dubio negativo, aut de dubio practico. Ratio est, quia in tali dubio nunquam contra legem agere licet, ut sequitur ex principiis supra positis.

» *Resp.* 2^a. Si autem agatur de dubio positivo, seu de vera et solida probabilitate, controversatur.

» Prima sententia affirmat. Ratio deducitur ex hoc principio communiter admissio: « Non satisfit obligationi » certæ per adimpletionem dubiam. » Etenim lex semel existens et imperans, jus habet exigendi rigorosam obe-

1. Quomodo recte uti debeas principio supra laudato, habes apud Suarez, in 1^{am} 2^æ, tract. 3, disp. 12, sect. 5, n. 7: « Si simpliciter dubitatur de tota lege, ... id est, an sit lata necne; ... generalis regula est, non obligare. Ratio peti potest ex illo principio, quod in dubio melior est conditio possidentis; homo autem continet [id est, possidet] libertatem suam... Si vero constet de lege et sensu ejus, dubitari potest an in hoc casu obliget; et tunc generalis regula est, si nulla sit sufficiens ratio probabilisque ad excusandum, tunc obediendum esse legi, quia ipsa vel superior continet jus suum. »

dientiam seu indubiam obligationis impletionem. Porro, quando dubitas, vel tantum probabiliter, aut etiam probabilius existimas te legem adimplevisse, ipsi rigorose minime satisfecisti. Ergo adhuc te urget et premit, usquedum certo satisfeceris. — Præterea, æquitas postulat ut id quod libertati concedimus, legi quoque, in pari conditione, non denegemus. Atqui concedimus libertati certæ ut non possit ligari per legem dubiam. Ergo concedendum est legi certæ ut non possit solvi per deobligationem seu per adimpletionem dubiam. — Tandem, in dubio melior est conditio possidentis. Sed lex certo existens possidet contra libertatem, quam sibi obligatam habet. Ergo in dubio prævalet contra libertatem. — S. Lig., lib. I, n. 28 et 29, qui in hoc loco, pluribusque aliis, videtur plene retractasse quidquid in contrarium scripserat, v. g., n. 99 versus finem¹. Magistrum sequuntur fere unanimiter ejus disci-

1. S. Lig. dicit, lib. I, n. 29: « Si quis probabiliter judicat jam voto satisfecisse, an teneatur, hoc non obstante, illud implere? Negant plures authores, nempe Roncaglia, de *Præcept. decal.*, c. 2, de voto, q. 4; Salmant., eod. tit., tract. 17, c. 1, punct. 6, § 2, n. 145, cum Layman; Lugo, de *Pœnit.*, disp. 16, n. 60, et alii; quia, ut aiunt, cum obligatio legis eo casu sit dubia, fit dubia etiam legis possessio. Olim probabilem hanc opinionem putavi, ductus magis a probabilitate extrinseca quam intrinseca. Sed, re melius perpensa, nunc minime illam probabilem censeo. Hinc oppositam dico tenendam, cum Concina, tom. III, diss. 2, de *Voto*, c. 4, n. 10; Antoine, de *Relig.*, c. 3, de *Voto*, q. 5; Filliuc., Leandr. et aliis. Ratio, quia, cum votum est dubie emissum, recte dicitur non adesse obligationem illud implendi, tunc enim possidet libertas. Cum tamen votum est certum, libertas hæc ligata remanet ab obligatione voti, donec votum certe sit impletum. Tum tantum prima sententia admitti posset, cum probabilitas esset talis, quod præsumere faceret quadam certitudine morali voto jam fuisse satisfactum. Quod autem diximus de voto, intelligendum est etiam de satisfactione pœnitentiæ sacramentalis. » Idem dicit S. Doctor lib. VI, n. 477, de dubio an quis peccatum mortale certo commissum fuerit vel ne confessus, et ibi se refert ad sententiam hic de voto ab eo declaratam. Potestne affirmari ex hac duplici retractatione quoad casus particulares cum omnino recessisse ab opposita doctrina? Contrarium videtur probari ex hoc quod habet eodem libro I, n. 99: « Quid in dubio an legem impleveris? In dubio